De Formalitate.

SIVE DE IDENTITATE ET DISTINCTIONE RERVM TRACTATVS.

Authore perquàm Reuerendo patre. F. PETRO
Fermosello, ordinis fratrum Minorum, regularis disciplinę, almæ prouinciæ
Bethicæ & Hispalensis cœnobii guardiano.

Spernere vis mortem? Vis puram viuere vitam?



Vis fieri sapiens, virq; probus? Vigila.

Anno, M.D.Lv.

INCIPIT BREVIS DE IDENTITATE & distinctione rerum tractatus.

VT ea quæ de identitate & distinctione rerũ tra Diuisio entis.
ctaturi sumus lucidiora nobis fiãt, entis diuisio
nem primo limite assignemus: aduertendum
est itaque quòd ens in suo ambitu diuiditur in
ens reale, & in ens rationis.

¶ Diuiditur ens reale, in ens quantum, & in ens non quantum
id est, in ens alicui⁹ perfectionis, & in ens nullius perfectionis.

¶ Diuiditur ens in finitum & in infinitum.

¶ Ens finitum diuiditur, in ens transcendens, & in ens limitatum.

¶ Ens limitatũ diuiditur in ens absolutum, vt lapis & ens respectiuum, vt actio vel habitus.

¶ Ens absolutum diuiditur in substantiam, quãtitatem & qualitatem.

¶ Ens respectiuum diuiditur in alia prædicamenta.

¶ Secundus articulus de identitate & distinctione.

¶ De identitate & distinctione rationis ponuntur duæ sequẽtes conclusiones.

¶ Prima. Illa sunt eadem ratione, quæ habent eundem concep Eędem ratione.
tum omnino indistinctum à parte rei, & indistinctũ à parte po-
tentiæ comparatiuæ, vt homo est idem sibi, & Sortes est idem
Sorti.

¶ Secunda conclusio. Illa distinguuntur ratione, quę præcisæ Distincta, ratione.
distinguũtur per actum comparatiuum alicuius potentiæ, vt
Sortes non est idem Sorti, vel Sortes distinguitur à Sorte, vel
Sortes est subiectum & prædicatum.

¶ Ex quibus infertur, quód omnis distinctio quæ fit à poten- Corolla. I.
tia ratiotinante solum, est distinctio rationis, vt fit inter pri-
mam & secundam intentionem, vt, animal est genus, homo
est species. Et inter secũdas intẽtiones: vt Species nõ est genus
vel species est species, capiendo vnum vt quid aliud vt modus.

Coroll.ii. ¶Sequitur secūdo, quòd distinctio rationis semper præsupponit potentiam & actum comparatiuum potentiæ.

Coroll.iii ¶Sequitur tertio, quòd nulla distinctio rationis vel identitatis, potest esse ante potentiam & actum eius.

¶De identitate & distinctione ex natura rei, & ponuntur duæ conclusiones.

Conclu.i. ¶Prima. Illa sunt idem ex natura rei, de quibus duo prædicata contradictoria non possunt verificari, vt homo est homo. Sortes est Sortes.

Conclu.ii. ¶Secunda. Illa distinguūtur ex natura rei, inter quæ, secluso opere potentiæ comparatiuæ, possunt duo cōtradictoria prædicata verificari, vt diffinitio & diffinitum. Totum & partes eius Superius & inferius. De primo dicimus quòd diffinitum est cōstitutum, & diffinitio non est constitutum, constitutum & nō constitutum sunt prædicata contradictoria, ergo diffinitum & diffinitio distinguuntur ex natura rei. De secundo totum est compositum & partes non sunt compositæ, cum compositum & non compositum sunt prædicata contradictoria ergo totum & partes distinguūtur ex natura rei. De tertio, superius est communicabile, inferius non est communicabile, communicabile & non communicabile sunt prædicata contradictoria, ergo superius & inferius distinguuntur ex natura rei.

¶De identitate & distinctione formali ponuntur duæ conclusiones.

Conclu.i. ¶Prima. Illa sunt idem formaliter, quorum vnum includit aliud in sua ratione formali, & est in primo modo dicendi per se, vt homo est animal, homo est rationalis, homo est animal rationale, Sortes est substantia. Et sic quodlibet inferius est idē formaliter suo superiori. Qua propter (inquit Scotus) Voco identitatem formalem, vbi illud quod dicitur sic idē, includit illud cui est sic idē, in sua ratiōe formali, & per se primo modo.

Conclu.ii. ¶Secunda. Illa distinguuntur formaliter quæ habent aliam & aliam rationem, quarum neutra includit aliam sua ratione

formali,nec primo modo dicḗdi per se,vt homo & risibile,flebile & risibile.

❡De identitate & distinctione reali ponuntur duæ conclusiones.

❡Prima.Illa sunt idem realiter,quorum vnū nō potest separari ab alio: vt subiectum & propria passio,& etiam risibile & flebile,& rationabile.Item creatura & dependētia eius à Deo: & distinctio vnius similitudinis ad aliam.Et finaliter, omnis relatio cuius fundamentum non potest esse sine termino illius relationis,est idem realiter cum suo fundamento,vt distinctio qua paternitas distinguitur à filiatione. Conclu.i.

❡Secunda.Illa distinguntur realiter,quæ sunt res & res,vt Sortes & Plato.Item illa distinguntur realiter,quorum vnum potest corrumpi alio remanente,siue per potentiam naturalem, siue supernaturalem, vt subiectum & accidens.Item illa distinguntur realiter quorum vnum per se est causa, & alterum per se est effectus,siue sit causa intrinseca,siue extrinseca.Item,illa realiter distinguntur,quorum vnum est gignēs,vel producens, & alterum genitum vel productum:vt pater gignens,distinguitur à filio genito,& pater & filius producēs à spiritu sancto producto,& econtra.Ratio(secundum Augustinū) quia nulla est res quæ gignat se ipsam. Conclu.ii.

❡Sequitur de identitate & distinctione essentiali & ponuntur duæ conclusiones.

❡Prima.Illa dicuntur eadem essentialiter quæ identificantur realiter vni essentiæ singularissime:vt creatura & sua dependentia à Deo,totum & sua dependentia à partibus. Conclu.i.

❡Secunda.Illa distinguntur essentialiter,quæ possunt separari abinuicem:vt Sortes & Plato,paries & sua albedo,& sic eadem est distinctio essentialis & realis in creaturis,sed non in diuinis. Conclu.ii.

De identitate & distinctione se totis subiectiuè, duæ conclusiones.

Conclu. i. ¶Prima. Illa dicuntur eadem se totis subiectiuè quæ conueniuntquidditatiuè in aliqua realitate contrahibili per realitatem diffrētiæ vt corpus & spiritus in substātia, & omnia quę conueniunt in aliquo genere contrahibili per differentiam formalem.

Corol. ¶Ex quo infertur, quód omnia quę includunt idē genus, sunt idem se totis subiectiuè.

Conclu. ii. ¶Secunda. Illa distinguntur se totis subiectiuè, quorū realitates sunt distinctæ, & ab inuicem separatæ in actuali existentia vt duo indiuidua eiusdem speciei, Sortes & Plato. Et ista non coincidunt cum distinctione reali, quæ non requirit extrema esse separata. Et licet partes constituant vnum, & sint coniunctæ distinguntur realiter.

¶De identitate & distinctione se totis obiectiuè duæ conclusiones.

Conclu. i. ¶Prima. Illa dicuntur eadem se totis obiectiuè, de quibus potest prædicari idem prædicamentum quidditatiuè, siue sit limitatum, siue trascendens, siue dicat realitatem potentialem, siue non: vt, Deus & creatura sunt idem se totis obiectiuè quia conueniunt in ente vel in aliquo trascendentali primæ vel secundæ intentionaliter capto, & etiam decem prædicamenta.

Concl. ii. ¶Secunda. Illa distinguntur se totis obiectiuè de quibus nō potest prędicari idem prædicamentum quid[illegible]itatiuè vt sunt, homo & risibile, vnum, verū, bonum, Platoneitas & Sorteitas de quibus nullum prædicatum dicitur quidditatiuè.

¶Ex prędictis inferuntur aliqua corollaria.

Corol. i. ¶Primum. Vltima distinctio se totis obiectiuè infert omnes alias distinctiones superiores. Penultima, scilicet se totis subiectiuè, infert omnes alias, prçter vltimam. Quinta, scilicet, essentialis, infert realem, & formalem, & ex natura rei, & rationis. Quarta, scilicet realis, infert formalem, & ex natura rei & rationis. Tertia, scilicet essentialis, infert distinctionem ex natura rei, & rationis. Secūda, scilicet ex natura rei infert distinctio-

nerrationis, sed non e contra descendendo, quia distinctio rationis non infert distinctionem ex natura rei, neque ex natura rei distinctionem essentialem realem, &c.

Secundum. Identitates non sic se inferunt sicut distinctiones oppositæ. Vltima identitatis non arguit penultimam, & sic descendendo vsque ad primam, sed opposito modo se habent, quia prima arguit secundam, & secunda tertiam, & sic ascendendo vsque ad vltimam. Corol. ii.

Tertium. Minor identitas quæ potest esse, est identitas se totis obiectiuè, quia nullam aliam infert. Corol. iii.

Quartum. Maior identitas quæ potest esse, est identitas rationis, quia ipsa infert omnes alias. Corol. iiii.

Quintum. Maior distinctio quæ potest esse, est distinctio se totis obiectiuè, & minor, distinctio rationis. Ratio primi est, quia distinctio se totis obiectiuè, infert omnes alias distinctiones. Ratio secundi est, quia distinctio rationis nullam aliam infert. Corol. v.

Sextum. Cum distinctione rationis stat identitas ex natura rei, & cum distinctione ex natura rei, stat identitas formalis & realis, & sic de singulis ascendendo. Vnde animal & homo distinguuntur ex natura rei, tamẽ sunt idem formaliter, cum animal includatur in homine in primo modo dicendi per se. Corol. vi.

Septimum. Cum distinctione obiectiua nulla stat identitas. Corol. vii.

Octauum. Cum identitate reali stat distinctio formalis ex natura rei. Hæc omnia patent ex præmissis. Corol. viii.

Sequitur secunda pars huius opusculi, reprobans aliquas conclusiones præcedentis opinionis

Arguitur primo sic (contra illud quod dicitur quòd distinctio ex natura rei non potest stare cũ distinctione formali, & quòd est minor distinctione formali.) Quæcũque distingũtur ex natura rei, distingũtur formaliter & econtra, ergo cõclusio minˀ bene posita. Patet inductiuè de diffinitione & diffinito: Secũdo de toto & suis partibus: Tertio de superiori & inferiori, quæ habent diuersas rationes & formas, & superius non includit Argum. i.

inferius in primo modo dicendi per se, neque diffinitio diffinitũ neque partes totũ, ergo distinguuntur formaliter & ex natura rei per te, ergo distinctio ex natura rei stat cũ distinctio ne formali, & non est minor illa.

Argumẽ.ii ¶ Secundo. quæcunque distinguuntur ex natura rei dicunt aliam & aliam rationem formalem, sed quæ dicunt aliam & aliam rationem formalem distinguntur formaliter, ergo quæ distinguuntur ex natura rei distinguuntur formaliter.

Arg.iii. ¶ Tertio. quæ dicunt aliam & aliam quidditatem distinguntur quidditatiuè & formaliter, sed omnia talia distinguuntur ex natura rei, ergo distinctio ex natura rei stat cum distinctione formali.

¶ Secundo principaliter arguitur, contra modum ponendi se totis subiectiuè, & primo sic.

Argum.i. ¶ Si illa solum distinguuntur se totis subiectiuè quæ habent realitates in loco, & situ actualiter separatas, & in sua actuali existentia, vt duo indiuidua eiusdem speciei, vt Sortes & Plato, sequitur quód corpus & anima vnita non distinguntur se totis subiectiuè, neque paries & sua albedo, neque anima & sua scientia, cum non habeant realitates separatas quod est falsum, habent enim aliam & aliam realitatem, & etiam aliam & aliam existentiam, tam coniunctam quàm separatam, ergo cõclusio falsa.

¶ Tertio principaliter arguitur contra illud quod dicitur, q̀ distinctio se totis subiectiuè infer talias distinctiones, Hoc est falsum, & similiter quód sit maior distinctio aliis est falsum, quod sic probo.

Argumẽ.i. ¶ Risibile & flebile, & risibile & homo distinguuntur se totis obiectiuè (quia nõ includunt aliquem conceptum, quidditatiuum) & tamen non distinguntur realiter, ergo distinctio se totis obiectiuè non infer talias distinctiones.

Argu.ii. ¶ Secũdo probatur sic. Vnitas & bonitas passiones entis distinguntur se totis obiectiuè (quia in nulllo conceptu quidditatiuo conueniunt) & tamen non distinguntur realiter.

Argu.iii. ¶ Tertio. Duæ differentiæ vltimæ distinguntur se totis obiectiuè, tamen non distinguntur realiter, ergo ista distinctio nõ

infert alias. Antecedens probo. Vltima differentia specifica albedinis,& differentia indiuidualis huius albedinis distinguntur se totis obiectiuè,& sunt primò diuersa cum sumantur ab vltima realitate speciei,& ab vltima realitate indiuidui,& dicunt conceptus simpliciter simplices non tamen distinguntur essentialiter neque realiter,cum omnis differentia speciei realiter identificetur cum indiuiduo,vel differentia indiuiduali,vt rationale cum Sorte vel cum Sortcitate. Hæc sunt de mẽte Scoti in tertio Dist.pri.& secun.

¶ Quarto principaliter arguitur contra illud quod dicit,q̃ distinctio realis & essentialis non inferunt formalẽ distinctionẽ. imò cũ idẽtitate formali stat distinctio formalis & essentialis. Argu.4.

¶ Primo. Anima & corpus sunt idem quidditatiuè & formaliter homini & tamen realiter & essentialiter distinguuntur ab homine. Antecedens patet, Quia tam anima quàm corpus includuntur quidditatiuè in homine,sed anima & corpus distinguuntur realiter, vt notum est.

¶ Quinto principaliter arguitur cõtra illud quod dicit,q̃ idẽtitas rationis infert alias idẽtitates. Hoc est falsum quod,pbo sic.

¶ Pater & filius,& spiritus sanct⁹ sunt idẽ ratione vel habent idẽtitatem rationis,& tamen non sunt idem realiter & personaliter. Antecedens probo, De eis dicitur vnus & idem respectus rationis,putà, vnus dominus, vnus creator, vnus conseruator & rector. Item omnis relatio Dei ad creaturam est communis tribus,ergo habent identitatem rationis. Quòd autem distinguantur realiter fides catholica prædicat quæ asserit alium esse patrem,alium filium,alium spiritum sanctum. Argu.5.

¶ Sexto principaliter arguitur. Prædicamenta sunt idem ratione,& tamen non sunt idem realiter & essentialiter,ergo idẽtitas rationis non infert alias edentitates. Antecedens probo, Quia omnia prædicamenta conueniunt in ista intentione, Genus generalissimum. Secunda pars patet, Multa enim prædicamenta distinguũtur realiter & omnia formaliter,quia secũdum Philosophũ, Essentiæ prædicamẽtorũ sunt impermixtæ.

¶ Confirmatur. Homo & lapis habent identitatem rationis, tamen distinguuntur realiter,ergo identitas rationis non in- Confirma.

fert alias identitates Antecedens probo. Quia dicendo homo currit, & lapis est in centro terræ, conueniunt in hoc, quód est esse subiectum vel subiici, ergo sunt vnum ratione, vnitate scilicet specifica.

Altera confirmatio. ¶ Cōfirmatur vltimo. Aqua pura, & ista verba, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sunt vnū ratione, nō vnitate specifica, sed numerica, quia vnus baptismus, nā accedēs verbum ad elementum fit sacramentū (secundum Augustinū) sed aqua & verba distinguntur realiter, vt patet, ergo idētitas rationis non infert identitatem realem.

¶ Sequitur vltimus articulus, in quo ponitur mens Stephani Brulipheri, pro quo ponuntur conclusiones.

Conclu. 1. ¶ Prima. Istę distinctiones nō ordinatur inter se per modū superioris & inferioris, nec habēt necessario habitudinē necessariā per modū inferētis & illati: Probatur sic, Cū idētitate reali stat distinctio formalis, & cū idētitate formali stat distinctio realis & essentialis, ergo intentum. Primum probo, Quia risibilitas flebilitas & humanitas sunt idem realiter, tamē distinguūtur formaliter cū sint diuersæ formalitates, quarum vna nō includit aliam in primo modo dicendi per se. Secundum probo, Homo enim est idē formaliter animæ intellectiuæ, & etiam corpori cum includat ipsa formaliter in primo modo dicendi per se, tamen distinguuntur realiter & essentialiter ab ipsis (sicut manifestum est) ergo non habent habitudinem necessariam, &c.

¶ Secundo principaliter probatur quód non habeāt necessario talem habitudinem, quia distinctio se totis obiectiuè, non infert distinctionem realem nec essentialē, nec ecōtra, distinctio realis infert distinctionem se totis obiectiuè, ergo non ordinātur, sicut superius & inferius, vel per modum inferentis & illati. Prima pars probatur, Quia vnitas & bonitas, risibilitas & flebilitas, distinguuntur se totis obiectiuè & tamen sunt idē realiter & essentialiter. Secundo probatur, Quia quę sunt primo diuersa, distinguuntur se totis obiectiuè, sed omnes differentię vltimæ sunt primo diuersæ, ergo distinguntur se totis obiectiuè. Maior patet, Quia primo diuersa non conueniunt in concep-

tu cõmuni, alioquin non essent primo diuersa, sed differentia. Minor probatur, quia si differentiæ non essent primo diuersæ, includerent aliud commune dictum de eis, in quo conuenirent. Et per consequens non essent eædem differentiæ aliis differentiis à se inuicem, & sic non essent vltimæ differentiæ sed illæ aliæ quibus differunt, vel esset processus in infinitum in differentiis & differentibus.

❡Secunda pars antecedentis probať, Quia homo & asinus distinguntur realiter & essentialiter, tamen nõ distinguitur se totis obiectiuè, cum cõueniãt in aliquo cõceptu cõmuni & quidditatiuo.

❡Secunda conclusio. Non est necesse ponere nisi distinctionẽ rationis & distinctionem realẽ & formalem. Prima sequitur operationem potentię comparatiuæ, cum negocietur per talẽ operationem. Duæ vltimæ præcedunt ipsam potentiã, & omnem actum eius, quia sunt in re ex natura rei. Pro quo aduertẽdũ est quid sit identitas realis, & similiter distinctio formalis. Concl.

❡Nota igitur quòd sunt aliqui gradus identitatis seu, identitas in vnitate.

❡Prima est identitas aggregationis & est minima vnitas, vt aceruus lapidum. Quotuplex sit idẽtitas.

❡Secunda est identitas ordinis, quę addit super primam ordinem partium ad inuicem, vt caput, collum, & humeri.

❡Tertia est identitas seu vnitas per accidens, quæ vltra ordinem partium, addit informationem accidentalem, vt Sortes & sua albedo.

❡Quarta est vnitas seu identitas ex per se actu, & ex per se potentia vt, vnitas compositi ex principiis essentialibus, vt homo qui componitur ex anima tanquam ex per se actu, & ex corpore tanquam ex per se potentia.

❡quinta est vnitas seu identitas simplicitatis, quæ est vera idẽtitas. quicquid enim est ibi, est realiter idẽ cuilibet, & nõ tantum est vnum illi, vnitate vnionis sicut in aliis modis, vt, essentia diuina, sapientia, bonitas, & omnia attributa diuina, quę ratione suę perfectionis & infinitatis identificant, se mutuo.

❡Sexta est vnitas seu identitas formalis, & est quando illud

quod includit, est idem formaliter incluso, quodquidem inclusum dicitur de includēte in primo modo dicendi per se, vt Sortes est homo.

Corol.i. ¶Ex quo infertur primo, quòd omne inferius est idem forma liter suo superiori, & omne diffinitum suæ diffinitioni, & om ne totum essentiale suis partibus essentialibus.

Corol.ii. ¶Sequitur secundo. Quòd omne superius, distinguitur forma liter à suo inferiori, & diffinitio à diffinito, & partes essentiales à suo toto essentiali. Ratio, quia superius, nec diffinitio, nec par tes totius includunt ipsa in primo modo dicendi per se: vt ani ma & corpus, non includūt hominem nec animal rationale, hominem nec animal, &c.

Corol.iii. ¶Sequitur tertio, quòd distinctio formalis est in re ex natura rei precedens omnē actū intellectus, cū sit inter quidditates & realitates, quarum vna non includit aliam quidditatiué, modo quidditas & realitas veré sunt in re ex natura rei, nec possunt dici secundæ intentiones, vel entia rationis, cum non sint fabricata per actum potentię comparatiuæ.

Cōclu. iiii. ¶Tertia cōclusio. Distinctio ex natura rei, nō est minor distin ctione formali (vt probatum est contra pręcedentē opinionē) Imò sunt idem, quia quæcunque distinguuntur formaliter distin guntur ex natura rei, & econtra vt bonitas & vnitas.

Argumen. ¶Sed cōtra istud arguitur. Quia inferius distinguitur à suo su periori, similiter diffinitum à sua diffinitione, & nō distinctio ne rationis, sed inferius nō distiguitur à suo superiori, nec dif finitum à sua diffinitione distinctione formali, cum quodlibet illorum includit reliquum, in primo modo dicēdi per se, ne que distingūtur realiter, neque alia aliqua distinctione maio ri quàm sit distinctio formalis, ergo distingūtur aliqua distinctione minori quàm sit distictio formalis, illa autē nō videtur esse nisi distinctio ex natura rei, ideo ponenda est distinctio ex natura rei minor distinctione formali.

Solutio. ¶Respondetur. Quòd duplex est distinctio formalis. Vna est inter aliquas quidditates, seu formalitates, quarum vna non cadit in ratione quidditatiua alterius, nec econtra. Et isto mo do subiectum & propria passio, putà, risibilitas, & humanitas,

distinguunturformaliter,quia vna nō includitur in alia forma liter.Etisto modo non dicuntur distingui formaliter diffinitū & diffinitio,superius& inferius,quia seper alterū illorum ca dit in ratione quidditatiuaalterius.Isto etiā modo non distin guntur formaliter quidditas& suus modus intrinsecus, quia non dicunt duas realitates,seu formalitates sed tantū vnam. Modus enim intrinsecus non addit formalitatem aliam vltra quidditatem eius cuius est modus. Alia est distinctio formalis quæ est inter aliqua duo extrema,quotum ratio vnius non est præcise, nec adæquatè ratio alterius. Verbi gratia,Ratio animalitatis, & ratio humanitatis dicuntur distingui formaliter secundum viam Doctoris Subtilis Scoti, quia ratio humanitatis non dicit adęquatè rationem animalitatis, quapropter vnum non prædicatur de alio in abstracto(loquē do de vltima abstractione)quia humanitas nō est animalitas, & hoc est, quia vna non est præcissé & adęquatè altera & hoc est verum nisi altera illarum sit infinita,vel ambæ.Illæ rationes essent formaliter infinitę,vt essentia diuina, & bonitas distinguntur formaliter,& vna nō est præcise alia,prædicatur tamen de se inuicem in abstracto,(loquendo etiam de vltima abstractione)& hoc est propter formalem infinitatē inclusam in istis.Isto etiam modo esse inferius distinguitur formaliter à suo superiori,& diffinitum formaliter à sua diffinitione, Ratio,quia ratio inferioris,non est ratio superioris adęquatè,ne que ratio diffiniti ē ratio suę diffinitionis præcisa& adęquata cum dicant quidditatem aliam à quidditate superioris,& aliā à quidditate diffinitionis. Et sic patet qualiter doctor Subtilis diuersimode, de esse idem formaliter & distingui formaliter loquitur,& aliqui formalizātes,semp accipiunt vno modo distinctionē formalē,scilicet primo,& ideo non habent mentē doctoris Subtilis. Per istā etiā distinctionē de distinctione formali(si bene notetur)soluuntur septē ratiōes Gregorii de Arimino,qui ,ppter ignorantiā istius distinctionis videtur argue re cōtra doctorē nostrū,qui tamē non arguit,cū semp capiat distinctionē formalē primo modo & non secundo.
¶Quarta cōclusio de mente Stephani. Secūda distinctio dicit Cōclu. iiii.

realis,& maior, & manifesta, & est distinctio rerum seu rei ad rem,& est duplex. quędam suppositorū seu personarum, alia naturarū. Prima est inter personas diuinas, quæ sunt tria supposita, vel personæ realiter distinctę, quę tamen eandem habēt naturam numero indiuisibilem, & indiuisibiliter. Distinctio vero naturarum est inter omnes alias res, quarū vna non est alia & ista vocatur distinctio essentialis, quia quæcūq; habēt aliā & aliam naturam, habent aliam & aliam essentiam, cum natura & essentia sint idem. Distinctio igitur realis naturarum est distinctio essentiarum, & per cōsequens, distinctio essentialis. Sic igitur distinctio essentialis nō cōdistinguitur cōtra distinctionem realem, sed est ipsa distinctio realis, licet non præcise suppositorum, sed naturarum etiam, & quo ad hoc bene dicit præcedens opinio, q̄ in diuinis inuenitur distinctio realis, & non distinctio essentialis: quia ibi inuenitur distinctio suppositorum, & non distinctio naturarum. Aliter tamen dicit Canonicus, & aliqui Scotizātes, q̄ distinctio essentialis est illa quæ est inter aliqua duo, quorū vnum potest existere sine alio & sic (secundum eum) totum essentiale non distinguitur essentialiter à suis partibus, licet bene distinguatur realiter: quia totū essentiale non potest existere sine suis partibus. Sed tenendo istam opinionem, diceretur q̄ paternitas non distingueretur essentialiter à filiatione, nec econtra, nec aliquod relatiuum à suo correlatiuo, quia neutrum illorum potest esse sine alio. Similiter non oēs species essent essentialiter distinctæ, quia species de genere relationis nō distinguerētur à se inuicem, cū opponantur relatiuè, & vna non potest esse sine alia. Similiter nulla creatura distingueretur essentialiter à deo, cum non possit esse sine eo. Verum omnia ista absurda sunt, reputo igitur veriorem esse opinionem primam, scilicet, q̄ distinctio essentialis est distinctio realis naturarum, & quęcunq; distinguūtur distinctione reali naturarum, distinguntur etiam distinctione essentiali, & econtra, quamquàm aliqua distinguantur distinctione reali naturarum, distinguntur etiam distinctione essentiali, & econtra. Quāquam aliqua distinguātur distinctione reali & suppositorum, quæ non distinguntur essentialiter &

hoc solum est in diuinis. Sic igitur patet, qualiter distinctio essentialis non condistinguitur contra distinctionem realem. Similiter patet, quod distinctio ex natura rei non distinguitur contra distinctionem formalem.

¶ Quinta conclusio. Distinctio se totis subiectiué, aut est distinctio formalis, aut distinctio realis naturarũ seu suppositorũ. Probatur, Illa dicũtur distingui se totis subiectiué quæ non conueniunt in aliqua realitate potẽtiali contrahibili ad ipsa per alias realitates contrahentes, vt, Deus, & creatura, & decẽ prædicamenta, quæ in nulla realitate potentiali contrahibili ad ipsa per alias realitates, conueniunt, supposito quod ens non descendit in ipsa per differentias formales sed per modos intrinsecos, qui non dicunt aliquas realitates. Ex quo patet, quod conuenire in aliqua realitate subiectiua, non est conuenire in aliqua re, seu in aliquo actu existẽdi (vt dicebat præcedens opinio) sed est conuenire in aliqua realitate potentiali contrahibili per differentias formales, importantes diuersas realitates sicut homo & asinus conueniunt in animalitate quæ est realitas contrahibilis ad ipsas species per realitates differentiales. Patet vlterius, quòd distinctio se totis subiectiué est aliquãdo distinctio realis naturarum (vt patet de Deo, & creatura & decem prædicamentis) addit enim duntaxat quòd distincta tali distinctione non habeant aliquam quidditatem comunem potentialem contrahibilem ad ipsa per realitates: aliquando etiam fiat distinctio se totis subiectiué cum distinctione formali dumtaxat, sicut sapientia & essentia diuina distinguntur se totis subiectiué cum in nulla realitate contrahibili conueniant, quia in Deo nulla ponitur realitas potentialis contrahibilis & contrahens, ideo nulla est ibi realitas subiectiua, & tamen sapientia diuina & essentia solum distinguntur formaliter. Similiter fiat distinctio se totis subiectiué cum distinctione reali suppositorum sicut pater, filius, & spiritus sanctus, cum in nulla realitate contrahibili conueniant, & tamen distinguntur distinctione reali suppositorum. Ex his omnibus quę diximus euidens est, quòd distinctio se totis subiectiué

Conclu. v.

non condistinguiur contra distinctionem reale m, neq; formalem, sed aliquando stat cum distinctione reali naturarum, aliquando cum distinctione reali suppositorum, aliquando solū cum distinctione formali.

Cōclu. vi. ¶ Vltima conclusio. Distincti se totis obiectiuè aliquando ē distinctio realis naturarum, aliquando distinctio formalis solum, addit tamen vltra istas distinctione, sq; sic distincta, in nullo conceptu quidditatiuo reali conuenianti sed bene intentionali vt, Sorteitas est differētia, Platoneitas est differētia. Vnde vltimę duæ differentiæ duarum diuersarum specierum, distinguntur realiter & se totis obiectiuè. Similiter vnitas & bonitas distinguntur se totis obiectiuè & formaliter, ergo distinctio se totis obiectiuè stat cum distinctione formali, & cum distinctione reali.

¶ Ex omnibus his apparet euidenter, cum non sit ponēda pluralitas sine necessitate, & nulla appareat necessitas multiplicā di distinctiones precedentes intellectū nisi distinctionem formalem, & distinctionem realem, sequitur q; non sunt necessaria ponendæ aliæ distinctiones condistinctæ propriè per se ab istis duabus: cum aliæ distinctiones contineantur sub his. vel ad eas reducātur.

¶ Ad huius materiæ perfectam notitiam duæ mouentur quæstiones cōmunes.

Quęstio. i. ¶ Prima. Vtrum quæ distinguntur formaliter, distinguantur etiam realiter.

Quęstio. ii ¶ Secunda est vna propositio disputāda inter Scotistas & Thomistas: scilicet, An omnis distinctio sit realis vel rationis? Ad hanc difficultatē respōdent Thomistę, cōcedēdo eam simpliciter sed Scotistæ oppositū tenēt, nā dicūt distinctionē realem & formalem esse distinctas, ergo non omnis distinctio est realis vel rationis, cū aliquæ sint formales essentiales ex natura rei, vel modales vt aiunt plurimi.

¶ Sed contra istā quæstionē talis ponitur conclusio.

¶ Illa quę distinguntur formaliter nō oportet q; distingātur realiter, contra quam sic arguitur.

¶Accipio duas formalitates, scilicet .a.&.b, tūc sic. Vel a,&,b suntaliquæ res, vel nullæ. Si nullæ, ergo nihil: quia quod ratio nulla res est, nihil est secundum Augusti. de, doctrina Christiana. Si sunt aliquæ res, ergo distinguntur realiter, ergo quæ distinguntur formaliter, distinguntur realiter. Argu. pri.

¶Confirmatur. Res & ens conuertūtur, ergo nulla res est nō ens, cum non ens sit nihil. Ergo si sunt ens, sunt res: & si res, ergo realiter distinguntur. Confirmat.

¶Secundo. Illa quæ distingūtur ex natura rei, distinguūtur realiter, patet de virtute vocabuli, nihil enī aliud videtur distinctio ex natura rei, nisi distinctio realis, & ecōtra: sed illa q̄ distinguunt formaliter distingūtur ex natura rei. Probatio minoris, quia distinctio per formalitates vel est extra actū intellectus, vel nō. Si p intellectū, ē distinctio rationis, si nō est p intellectū, ē ex natura rei: si ē ex natura rei, ē realis, vt probatū est. Argu. ii.

¶Tertio. Sicut se habet res subiecti ad formalitatē subiecti, ita se habet res propriæ passionis ad formalitatē proprię passionis, ergo à trāsmutata proportione, sicut se habet res subiecti ad rē propriæ passionis, ita formalitas subiecti ad formalitatē propriæ passionis. Sed res subiecti est eadem cum re propriæ passionis per se, ergo formalitas subiecti est eadem cum formalitate proprię passionis, et sic non distinguntur formaliter scilicet subiectum et propria passio. Argu. iii.

¶Quarto. Quodē substātia est vera res, sed formalitas substātiæ ē vera substātia, ergo vera res. Maior videtur vera, quia est prædicatio superioris de suo inferiori, minor patet, quia formalitas substātię est quod quid est sustātiæ (vt patet per istos) sed quod quid est, est idē cum re ē cuius est (patet. vij. metha physicæ) igitur quod quid est est substātia, sed illa quę per verā rem distinguntur, distingūtur realiter, ergo quę formaliter distinguntur distinguntur realiter. Argu. iiii.

¶Quinto. quæ habent diuersas distinctiones realiter distingūtur, vel ratione, patet. quia diuersitas diffinitionis, seu diuersitas differentiarum ibi positarum, sufficit ad distinctionē realē, vt rationale, & irrationale, sed illa q̄ distingūtur formaliter habēt diuersas diffinitiones seu differētias, ergo distinguntur realiter. Argu. v.

Argu.vi. ¶Sexto. Si illa quæ distinguuntur formaliter essent idem realiter sequeretur quòd ab vno & eodē sumeretur vnitas & pluralitas, patet, quia per te ab vno et eodem sumitur pluralitas formalitatum, quod est falsum, quia secundo de generatione Idem, in quantum idem, non est natum facere nisi idem

Argu.vii. ¶Septimo. Capio formalitatem subiecti & formalitatem passionis & sint a & b, tunc sic, Vel habēt aliquid cōmune, vel nihil: si nihil commune habent, ergo distinguuntur se totis obiectiuè, sed quæ se totis obiectiuè distinguuntur, distingūtur realiter, ergo a & b realiter distinguuntur

¶Sed per istos, ista sunt eadem realiter, ergo illa quæ non sunt eadem realiter sunt idē realiter, quod est manifestè falsum. Si detur q̄ habent aliquid cōmune, illud cōmune vel est ens reale, vel ens rationis: si reale, ergo illa sūt entia realiter, & sic faciēt distingui realiter, quorū sunt formalitates. s. substantiā & propriā passionē. Si illud cōmune est ens ratiōis, ergo distinguūtur ratione tm̄, quod est cōtra eos, qui dicunt, q̄ distinctio per formalitates est maior distinctio, quā distinctio rationis.

Argu.viii. ¶Octauo. Quę distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur formaliter & essentialiter. Patet, quia quidditas, res, & essentia idem sunt, sed quę distinguuntur formaliter, distinguūtur quidditatiuè: patet, quia per istos, formalitas nihil aliud ē, quā rei quidditas, ergo quæ distinguuntur formaliter, distinguūtur realiter quod est propositum.

Argu.ix. ¶Nono. Herueus Brito ordinis prędicatorum dicit has rationes demostrare, Nulla propria passio protenditur vltra suum adæquatum & proprium subiectū, sed distinctio est passio entis, ergo non protenditur vltra ens, sed omne ens vel est reale vel rationis. iiii. metaphysicę, igitur omnis distinctio ē realis vel rationis, ergo nulla erit distinctio media, & sic nec erit formalis, nec ex natura rei, nisi contineatur in istis vel reducatur ad illas, & sic habeo propositum, quód distinctio formalis infert distinctionem realem.

Argu.x. ¶Decimo. Quæ distinguuntur numero, distinguuntur realiter, (quia quæ sunt numeraliter distincta, non includit contradictionem vnū esse sine alio & sic distincta realiter) sed quæ di-

stinguntur formaliter distinguntur numeraliter (quia distinguntur quidditatiue, vt patet per istos) & quæ distinguunt quidditatiue distinguuntur specifice, patet quia quidditas ponit rē in esse specifico) sed q̄ distinguntur specifice, distinguuntur numero (vt patet primo thopicorū & quito metaphysicę) & distinctio specifica est maior q̄ distinctio numeralis, & maior distinctio infert minorē secūdū omnes, sed quæ distinguuntur numero realiter distinguuntur, ergo quæ formaliter distinguuntur, distinguntur realiter, quod est propositum.

¶ Vndecimo. Frācisc⁹ de Marchia ad idē. Illa q̄ habēt realiter & essentialiter diuersas formas, realiter & essentialiter distinguuntur patet ex intētione philosophi .ix. methaphysicę: Forma distinguit & separat. Et quæ distinguntur formaliter, distinguntur per formā (vt patet de virtute vocabuli) ergo quę distinguntur formaliter, realiter & essentialiter distinguuntur. Argu. xi.

¶ Duodecimo. Nisi illa quæ formaliter distinguntur realiter distinguerentur, sequeretur q̄ formalitas non esset sufficiens principiū distinguēdi aliquē realiter, quod est falsū, quia per paternitatem in diuinis, quæ est quędā formalitas, pater in diuinis ab essentia diuina formaliter & a filio realiter distinguitur, ergo realiter & essentialiter. Argu. xii.

¶ Cōfirmātur iste rationes. Omnis differētia rationis facit cōpositionē rationis, ergo oīs differētia seu distinctio ex natura rei facit cōpositionē ex natura rei, sed in diuinis, & in simpliciter simplici nulla est cōpositio, ergo ibi nulla est distinctio ex natura rei, nec per consequens formalis. Cōfirmat.

¶ Sed in oppositū arguitur quintuplici authoritate. Et prima logica sic. Philosophus in antepredicamētis inquit. Idē color numero qui est de prima specie qualitatis & dispositio est de tertia q̄ est passio, sed idē color est idē realiter et essentialiter, & tñ facit diuersas species, ergo cum idētitate reali stabit, imo oportet ponere diuersas formalitates. Opinio te nēda. Argu. pri.

¶ Secundo arguitur authoritate naturali. Tertio physicorum inquit philosophus. Actio & passio idē significant realiter in numero, habent tamen quod quid erat alterū & alterum distincta, sed distinctio per quod quid erat arguit distinctionem Argu. ii.

formalitatem, ergo cum eadem re essentialiter stabit diuersitas formalitatum.

Argu. iii. ¶ Tertio authoritate morali. Inquis philosoph' in Ethicis. Quòd virtus & iustitia sunt eadem res, sed tamen sunt distinctę secundum rationem quidditatiuam, sed distingui per rationem quidditatiuam est distingui formaliter, ergo cũ identitate reali stat pluralitas formalitatum: istæ tres rationes cõcludunt contra aduersarium, sed non concludunt contra Scotistam, neq; contra Maironistam.

Argu. iiii. ¶ Quarto authoritate metaphysicali. Philosophus. iiij. metaphysicę. ca. iii. Et. iiii. Thopicorũ ca. pri. dicit, φ ens & vnum sunt vna natura distincta ratione quidditatiua, & sic idem realiter, sed distincta formaliter, ergo cum identitate essentiæ & essentiæ, rei & rei, naturę & naturæ, stabit distinctio quidditatiua & formalis. Et si dicas, φ philosophus ibi intelligit, φ ens & vnum distinguantur ratione tantum. Contra, Magis distinguitur ens ab vno quàm ens ab ente, sed ens ab ente distinguitur ratione tantum, ergo oportet quod sit maior distinctio entis ab vno, quàm entis ab ente, & sic prima erit formalis, vel quidditatiua.

Argu. v. ¶ Quinto arguitur authoritate Theologica. Essentia diuina non est alia essentialiter & realiter à patre, & filio, & spiritu sancto, tamen ibi est diuersitas formalis: patet, quia pater dicitur ad alterum, scilicet, ad filium, & filius ad patrem, sed essentia non dicitur ad aliud, ratio, quia quod ad aliud dicitur non est essentia (secundum Augustinũ de trinitate lib. vij. capi. primo) ergo cum identitate rei, stabit distinctio formalis.

¶ His suppositis respondetur ad argumenta.

Ad primũ. ¶ Ad primũ. Cũ arguitur, Illæ formalitates vel sunt aliquę res vel nihil. Respõdeo, φ sunt realitates & nõ ppriè res, sed magis aliquid rei. Et cũ infers, Ergo distinguuntur realiter, dico φ si capiatur realiter largo modo, id est, sine opere intellect' concedo φ distinguuntur realiter largo modo. Si vero intelligitur φ est distinctio formalis inter rem & rem, sic nego, quia solum est distinctio inter realitatem & realitatem, & non inter rem & rem.

¶Ad secundũ. Cum arguis, quęcunq; distinguũtur ex natura rei, distinguũtur realiter, nego istam nisi intelligatur sicut in solutione præcedenti, hoc est largo modo. Ad secũdũ

¶Ad tertium. Cum arguis, Sicut se habet res subiecti ad rem passionis &c. Adhoc argumentum dico duo. Primũ q; locus à proportione debet esse inter rem & rem, sed subiectũ & propria passio non sunt res & res, sed vna res tantum realiter. Secundum est, q; ibi est similitudo, & dissimilitudo, similitudo est, quia sicut res subiecti nõ potest esse sine re passionis, ita formalitas rei subiecti non potest esse sine formalitate passionis. Dissimilitudo per quam argumentum claudicat est, quia res subiecti transit in identitatem realem cum re passionis & econtra, sed formalitas subiecti non transit in identitatẽ formalem cum formalitate passionis, nec e contra. Ad tertiũ.

¶Ad quartum. Formalitas substãtiæ est vera res. &c. Hanc distingo, Vel intelligis q; illa formalitas substãtiæ quæ dicitur in re, est vera res, & sic concedo, vt, Homo est rationalis. Vel intelligis q; illa formalitas quæ dicitur in obliquo, est vera res, & sic nego. Prima dicitur res vera, & secunda dicitur magis res substantiæ, quàm substantia, sed prima dicitur vera substãtia. Ad quartũ

¶Ad quintum. Quando arguis, quæcunq; habent diuersas differẽtias distinguũtur realiter. &c. Respõdeo q; verũ est si habent diuersas diffinitiones quidditatiuas constitutas ex genere & differentia quidditatiua, sed si habent diuersas rationes formales ex natura rei ab intellectu formaliter conceptibiles non oportet q; distinguantur realiter, vt, humanitas & risibilitas. Ad quintũ

¶Ad sextum. Cum arguis, Ab vno & eodem non potest sumi vnitas. &c. Respondeo, q; ab vno & eodẽ non potest sumi vnitas rerum, & pluralitas rerum respectu eiusdem, sed bene ab vno & eodem potest sumi vnitas rei & pluralitas formalitatum, quæ non opponuntur in eodem, nec repugnant. Ad sextum

¶Ad septimũ. Dum arguis, Accipio formalitates subiecti & passionis. &c. Admitto totum, & cum quęris, vel his formalitatibus est aliquid cõmune, vel nihil. Respondeo, quòd nihil est cõmune vniuocum vniuocẽ dictũ habent tamen eandem Ad septi.

realitatem subiectiuã, in qua realiter conueniunt & differũt, licet non quidditatiuè. Et cum vltra arguis, quæ distinguũtur se totis obiectiuè distinguuntur se totis subiectiuè & realiter. Dico, quòd argumentum est bonum contra illos, qui dicunt q distinctio se totis obiectiuè infert distinctionem se totis subiectiuè, & omnes alias, sed ego non dico sic, ideo dico quod aliqua se totis obiectiuè esse diuersa, potest esse dupliciter vno modo in realitate obiectiua, & sic illæ formalitates subiecti & propriæ passionis sunt primo diuersæ nec postea sequitur q distinguantur realiter. Alio modo potest esse in realitate subiectiua, & sic realiter formalitas subiecti, & propriæ passionis non sunt primo diuersæ quia conueniunt in realitate & essentia subiecti & propriæ passionis, & in eadẽ identificantur realiter. Et quãdo quæris, an illud cõmune sit ens reale, vel rationis, Dico, q in nullo conueniunt quidditatiuè, ideo nec illud ens reale, neq; ens rationis, scilicet, quidditatiuè sed bene conueniunt in aliquo denominatiuè, & illud est ens vel res transcendenter. Item conueniunt in realitate obiectiua.

Ad. viii. ¶ Ad octauum. Cum arguis, quæcunq; distinguuntur quidditatiuè distinguuntur realiter, nego. Et ad probationem. Quidditas & res idem sunt, verum est, sed inadæquatè, quia cum vnitate rei fiat pluralitas formalitatum.

Ad nonũ. ¶ Ad nonum. Concedo processum. Sed quando dicis, omne ens est reale, vel rationis, distinguẽdũ est, quia vel capitur reale largo modo, pro omni illo quod est absq; opere intellectus & ens rationis pro omni illo quod negociatur per operationem intellectus, & sic concedo. Vel capitur ens reale prore actualiter distincta & realiter ab alia, & sic non est verum, cum multæ sint formalitates, quæ non sunt res distinctæ realiter.

Ad decimũ ¶ Ad decimũ. Quę distinguuntur numero, distinguũtur realiter Cõcedo, ergo quę distinguũt formaliter, distinguũtur numero. Nego istã. Et ad probationẽ, quę distinguũtur, formaliter distinguũtur quidditatiuè, transeat, sed quæ distinguũtur quidditatiuè, distinguũtur specificè, nego illã. Nec sequitur distinguũtur specificè, ergo distinguuntur numero, quia secundum eos, actio & passio distinguũtur speciè & tamen sunt vnus motus numero,

¶ Ad v.ndecimum. Illa quę habent realiter & essentialiter diuersas formas distinguntur realiter & essentialiter. Respõdeo distinguendo, Vel formæ sunt substantiales, & absolutę, vel sunt accidentales, & respectiuę, & sic nego quia cum identitate reali, stat pluralitas formalitatum. Ad vndeci.

¶ Ad duodecimum. Nisi illa quæ distinguntur formaliter distinguerentur realiter, formalitas non esset principiũ sufficiẽs distinguẽdi aliqua realiter. Respondeo, Quód eo modo, quo formalitas vel forma est principium distinguendi, facit ea differre, si realiter, realiter: si formaliter, formaliter. Ad. xii.

¶ Ad confirmatione, potest dici, q̃ non est simile quia in differentia rationis est aliquid actuale, putà ipsa relatio rationis, & aliquid potentiale, putà subiectum, vel fundamentum, non autem oportet quòd ita sit in omni relatione ex natura rei, vel formali. Ad cõfirma.

¶ Hæc (vt potui) breuissimo hoc compendio ita tradere curaui, vt nisi necessarium verbum vllum assumerem, ne tenella adolescentulorum ingenia rerum sublimitate, & difficultate, obtundere potius quàm acuere viderer. Hoc vnũ certo scio q̃ præter id quod ad rem facit, plus minusue contineat nihil imò quicquid inserui, eo ordine digessi: vt non dicam doctissimum, verumetiam iocundissimum sit animæ quęrenti deũ qui vnum est & perfectissimum ens, vna simplicissima substãtia, vnus Deus benedictus, vna lux æterna, vnum lumẽ increatum, in Trinitate perfecta, vnus, in vnitate perfecta trinus cui prouolutis genibus, honorem, gratiarum actionem, virtutẽ gloriam, & benedictionem, per immensa sæcula, canamus. Amen.

De formalitate.
Siue de identitate & distinctione rerum tractatus. Finis.

Deo semper honor & gloria.
Hispali.
Excudebat Martinus à Montes doca
M.D.L.V.